



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118634**

§. 60. Bajus quadragesimam quintam propositionem innovasse accusatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

§. LX.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1568.

*Bajus quadragesimam quintam propositionem innovasse accusatus.*

Eodem anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo octavo die vigesima sexta Novembris in fine cujusdam disputationis Theologicæ, in qua Mathias Hovius, Collegii Pontificii Burfarius Michaelè Bajo Præside, respondebat, actumque erat de ratione Sacrificii, Cunerus Petri exprobat eidem Michaeli Bajo, quod propositionem novissime per Pii V. diploma damnatam numero quadragesimam quintam innovasset: porro ea propositio erat hæc: *Sacrificium Missæ non alia ratione est Sacrificium, quam generali illa, qua omne opus, quod fit, est, ut sancta Societate Deo homo inhæreat.* Id ipsum etiam Jodocus Ravesteinius palam confirmabat: accusabatur itaque, quod oblationem pro Sacrificio necessariam auferret, & duntaxat Missæ sacrificio attribueret generalem quandam rationem, qua omne opus, quod fit, ut sancta societate Deo homo inhæreat, Sacrificium dici potest: ut ergo Bajus hosce duos adversarios scriptis suis convinceret, suamque fidem contra horum criminationem vindicaret, ad illos plures dedit epistolas, quæ postea unacum  
utrius-

*Bajana inter op. Baji t. 2. p. 198.*

*Baji oper. t. 1. p. 168.*



Sæcul. XVI.  
A.C. 1568.

utriusque Doctoris responsionibus publici juris factæ sunt sub hoc titulo: *Michaelis Baji Collatio cum Jodoco Ravestejn, & Cunero Petri, Lovaniensis Academiae Doctoribus Theologis, de Sacrificio Missæ.* Primæ hæc literæ erant scriptæ die Sabbathi post festum S. Catharinae, quod incidebat in vigesimam quintam Novembris diem; posteriores vero feria quinta post S. Andreæ festum die secunda Decembris datæ erant, atque ambæ habentur in collectione operum Baji, ubi Auctor ea, quæ in sua thesi ac disputatione protulerat, vindicare nititur. Ceterum hic idem Matthias Hovius, qui eandem thesin propugnabat, postea Mechliniæ Parochus ad Divum Petrum, necnon Archidiaconus, ac denique Mechliniensis Archiepiscopus creabatur, suoque ævo celeberrimis Verbi Divini Præconibus merito accensebatur.

§. LXI.

*Pontificis Bulla a Franciscanis recepta.*

*Op. Baji*  
*t. 2. p. 147.*

Cum disputationes circa Baji doctrinam exortæ etiam inter ipsos Fratres Minores dissensionem suscitarent, Leodius, quamprimum in Provincialis officio Patri Panino Baji Doctoris amico fuerat subrogatus, mox ad Nivel-

lenfia